



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 1. Nescire eos, quid appetant, qui opes appetunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

uites reprobos eum deputat Dominus: quia diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, aut in domo. Quin & apud homines diuitiæ sunt maximæ, non egere diuitijs; & ille est pauperior, qui pluribus eget: pauperimus ergo, qui quàm plurima concupiscit, quia ostendit se quàm plurimis indigere. Talis autem est, quisquis

*Componit opes gazis inhians,  
Et congesto pauper in auro est.*

Senec. in  
Herc. Fu-  
rente.

C A P V T I V.

*Acquisitio, possessio, amissio diuitiarum  
quantis miseris sit obnoxia?*

§. I.

*Nescire eos, quid appetant, qui opes appetunt.*



Vi, ex istorum sententia, pauperes iudicat esse diuitibus feliciores, lætatur, non queritur, si opibus amissis in statum incidit feliciorum; satisq; se opulentum arbitratur, qui videt sibi nihil deesse. Cui autem appetendæ videntur diuitiæ, demonstrat se tamquam famelicum, nondum esse satiatum, illudq; ipsum, quod appetit, sibi deesse profiteretur; atque eam ipsam

Prou. 12.  
9.

ipsam ob causam non negat se egere. Itaque melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane, neque enim eo, quod habet contentus est; cum interea pauper sufficiat sibi. Hoc planè ita est, & tamè tantus mortalium numerus censet diuitias, præ paupertate, appetendas. Et ista sententia,

S. Chryf.  
homil.  
quòd ne-  
mo lædi-  
tur nisi à  
seipso.

ait S. Chrysostronus, non solum terra marique seruatur, sed usque ad ipsas nubes, & sidera ascendit. Noui & ego, quòd non tam ista sententia, quam flamma est, qua & istum vastat orbem terrarum, & qui extinguat quidem nullus est, qui accendant verò & magis magisque inflamment, multi sunt; omnes enim fauent huic malo, non solum illi qui ab eo capti sunt, sed & qui nondum illuc videntur ingressi, & unumquemque hominem videns, siue vir ille, siue femina sit; seruus, aut liber, diues, aut pauper, pro viribus suis incendio huic, materiam & onera comportare, & die ac nocte in eius ministerijs vigilare. Onera dico non ligni, aut fœni: non enim talis est flamma, qua ista consumat, sed anime sua & corporis, iniqua & iniusta ei opera deferunt, his enim accenditur ignis iste. Nam & ipsi diuites etiam si totum orbem esset possibile possideri à singulis, adhuc in desiderio eius arderent: pauperes verò, dum cupiunt diuitibus

diuitibus exaquare, insatiabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, & in tantum amor pecunia omnem animam fatigat, ut nec coniugis aut filiorum amor locum det: quibus affectibus inter homines nihil praefertur: amor autem pecuniae omnia haec huiusmodi deicit, & pedibus conculcat. Ita velut fera quadam, & domina crudelis omnium possidet corda, & tyrannica dominatione deuincit, saeuit ut barbarus, feruet crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet terribilis & dira est, & tamen suavis, & amabilis hominibus videtur, & dulcior melle, cum ipsa eis praecipitia quotidie paret. Expeditur hoc ab eis, & adhuc desideratur, & per innumeras mortes latantur se ad eius ianuas saltem peruenisse: volutari namque in caeno eius, tamquam sues delectantur, & ut chiantari stercus eius euolueri. Quo modo ergo sanabimus mentes huiusmodi, irrationabilia illa, quae diximus, quae se huiusmodi sordibus volutant? Transferri ab his non possunt, utpote intellectu, & ratione carentia: nobis autem nunc sermo ad homines habetur, quibus intellectus inest, Superest, ut audire velint, & facile de caeno isto poterunt liberari. Audiant ergo, quid secum ferat diuitiarum acquisitio, quid pariat eorumdem

rumdem

Francisc.  
Petrouch.  
c. 53.

rumdem possessio, quem dolorem relinquat  
illarum amissio, si appetantur, aut nimium  
amentur, discantq; amorem deponere, &  
frangere tam noxium appetitum. Multi e-  
nim etiam olim opes rem *quasitu difficilem,*  
*custoditu anxiam, amissu flebilem* vocauere.

## §. II.

*Mentes humanas appetitu cacari.*

Frangetur autem inprimis, si perpendere  
velimus ipsum appetitum, qui cum duitia-  
rum acquisitione coniunctus est, immò &  
præcedit. Cura enim nimia & intempestiuū  
studium rerum temporalium voluntatem  
intemperanti affectu inuiscatam rapit, vt  
nihil non moliatur, solliciteq; scrutetur  
omnia, ne ab eorum adeptione impedita  
voto suo excidat. Per hoc ardens desideriū  
voluntas capta, etiam intellectum in rem  
amatam defigit, atque ad eam irrequieto  
motu vbilibet vestigandam, suprâ quàm  
mediocritatis fines ferant, circumagit, id-  
circo exsculpuntur imprudentia iudicia, ob  
quæ spinosæ illæ sollicitudines inter pec-  
cata prudentiæ opposita numerantur. Solli-  
citus enim nimia rerum caducarum ra-  
tionem absorbet, nimijs cogitationibus, de  
eiusmodi bonis acquirendis, vel conseruan-  
dis,